GERHOHUS REICHERSBERGENSIS

Admont (?), 1166-1169

Seite 49v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26928
Copyright: Admont, Benediktinerstift

appellasse dominum. et ideo negatus eum esse dominum sue creature.
uidere quid dicatis. Vocando eum dominum. dominum quoque confessus est cum
non possit esse deus alicuius. cuius non sit dominus. quia quamuis diuersis re-
spectibus dicatur idem deus et dominus. neutrum tamen excedit alterum.
et propterea et singulariter accepta nomina hec uni soli conueniunt
ex quo et in quo et per quem omnia. Unde est illud. Dominum deum tuum adorabis.
et illi soli seruies. Aliter autem acceptis uocabulis. sunt et dii multi. et domini
multi. Enim uero omnis pagine sacre scripture plene sunt. qualiter et deus in
domino. et dominus intelligatur in deo. Ubi ergo hec dicit dominus. et iterum.
Ego sum deus uester: Et deus in domino. et dominus in deo intelligitur.
Si non uultis credere mihi. credite saltem prophetis. et ipsi moysi. et si
non uultis credere moysi. credite saltem angelo. et uidebitis
ueritatem nostri quod dicimus. Aue maria inquit angelus gratia plena.
dominus tecum. id est deus. Unde Petrus alexandrinus episcopus dampnator
arrii. Verbum caro factum est et habitauit in nobis. scilicet ex quo angelus uir-
ginem salutauit dicens. Aue gratia plena dominus tecum. Dominus tecum dixit Gabriel
quod est deus. demonstrans carnem futuram. iuxta quod scriptum est.
Spiritus sanctus superueniet in te. Denique cum x. nomina sint dei in hebreo.
plena misterio. numquid omnibus his nominibus uocauit patrem filius. quia
non omnibus his inuenitur eum appellasse in euangelio. Mariam